Pro Quodlibetaria

Disputanda In Scholis Medicorum Die Martis 28a Novembris
praeside Literatissimo viro
Joanne Cuchot, alias à Vico Doctore medico.

4

An morbi omnes omnibus fiant temporibus?

Aëris tanta nobis ipsius necessitas, ut eo destituti ne brevi quidem tempore vivere possimus: ab eo tamen interdum non minus quam à quavis insalubri causa laedimur; dummodo calidior, aut frigidior, aut extranea qualitate infectus periculosos inducit morbos, et tum praesertim cum magnas et repentinas in eo fiunt mutationes.

Hinc austrina constitutione caput repletur, caligo oculorum, auditus gravitas, mentis et corporis torpor et pigrities generatur, et multis putredinis affertur occasio. Aquilonia vero tusses, raucedines, urinae difficultates, costarum et thoracis dolores excitantur.

Ver quamvis temperatum saluberrimum, dum corpus variis humoribus repurgare conatur, interdum maniam, epilepsiam, haemorrhagiam, phlegmonas, catarrhos, impetigines, arthritides: aestas biliosos affectus et ardentes et tertianas: febres, erysipelata, autumnus melancholicos morbos, asthmata, tabem, dysenteriam, lienteriam, hyems nervis et cerebro inimica pituitosas aegritudines parit.

Cuique etiam aetati suas ipsum familiares affectiones. Nam infantuli recens nati aphthis, vomitu, pavoribus, comitiali morbo vexantur. paulo grandiores gingivarum pruritu, febribus, convulsionibus, diarrhoea: qui pubertati sunt proximi calculis, asthmate, lumbricis, tonsillis, et multis tuberculis. post pubertatem haemorrhagia, frequenti sanguinis sputo, tabe, febribus acutis. Declinantes aetate melancholicis, senes pituitosis affectibus cruciari solent.

Morbi (qui fere omnes ab aëre et victu proficiscuntur) non statim, quamvis suam saepe habeant praesentem causam quibuscunque imprimuntur corporibus, sed ad horum generationem plurimum facit corporum afficiendorum praeparatio: quorum cum omni aetate multa sit in temperie varietas, nihil mirum si diversis, et qui tempori et aetati non videantur convenire, corripiantur morbis.

Morbi Igitur omnes omnibus temporibus fiunt: quidam vero magis In quibusdam Ipsorum, et fiunt et excitantur.

Asserebat Theobaldus Triguel. 1642